

Vg
3318







Ogmata Lutheri multos suspecta per annos
Saxonis arbitrio & qui tum cum Saxone stabant
In parvas tabulas conjecta Melanthonis arte
Carolus audierat, folio sublimis eburno,
Augustæ, ingenti procerum stipante caterva.
Continuo magni fiunt tota urbe tumultus,
Quales, quum Gallus Capitolia summa teneret,
Sub septemgeminis fiebant montibus olim.
Causa haud dissimilis. Nam nunc quassata laborant
Culmina Romanæ sedis, decretaque Papæ,
Sancta huc usque, libro perparvo impulsa fatiscunt.
Non tulit hoc factum rasæque unctæque cohortis
Concilium: ut repararet concussæ mœnia Romæ,
Jam ruitura, librum cultum, qui publica nostræ
Norma fuit fidei, famoso dente laceffunt,
Omnem conantes rabido lacerare furore.
Confluit ista cohors ex omnibus undique terris,
Non secus ac factio sublimis agmine sturni;
Namque illos præter, mitrati culmen honoris
Quos curvumque pedum decorabat & infula, quosque
Dextra sacerdotis Tarpeja ex arce tonantis
Cardineo meritos de se bene cinxerat ostro,
Magna aderat patrum non uno ex ordine turba,
Extinctura novis, sed stulte, incendia flammis.
Nec dum etiam causæ irarum sævique dolores
Exciderant animis: manet alta mente repostum
Judicium monachi, spretæque injuria Romæ,
Et genus invisum, rapti triplicisque tiaræ
Summi Pontificis nunc nunc nutantis honores,
Omnia quos repetens nondum Confessio reddat.
His accensa super jam curas convocat omnes
Ex variis collecta locis hæc turba virorum,
Conjurata cohors ut mox toto exulet orbe,
Extra anni solisque vias, pictosque Gelonos,
Eoasque domos Arabum & deserta Getarum.
Nosne, ait, a sacris æquum desistere priscis,
Et victas præbere manus, nec dogmata posse
Germanis nutu terris avertere nostro?
Quid vetat? accensis potuere exurere flammis
Huffum majores, totamque extinguerent pestem:
Nos cum Luthero gerimus tot bella per annos,
Et quisquam Mariæ placabile numen adoret
Præterea, aut supplex aris imponat honorem?
Talia dum secum flammato corde volutant,
Rixarum in patriam, loca foeta furentibus iris,
Conveniunt, causamque agitant cum murmure magno.
Ipse inter primos bene farto corpore pugnat
Eccius. Hic veteres iras obtusæque tela,

Quondam ad Lipsiacum fuerat queis usus Elystrum,
 Nunc renovat totis fundens convitia plaustris
 Magnum in Martinum, quo tunc victore repulsus
 Vulnera mille, sibi nondum sanata, gemebat:
 Hinc nova bella ciens in campum provocat omnes,
 Vrbs ea quotquot habet Lutheri signa sequentes
 Doctores, scriptis thesibus, si pace liceret
 Casaris, adverso non rursus Marte tuendis;
 Sed frustra est ejus pugnandi caeca libido.
 Alter ab hoc merito fuerit *Dobenecius*, Ecco
 Moribus haud multum absimilis, cui cochlea nomen
 Cum patria commune dedit: (nisi cochlear albo
 Quod spumat mucore illi cognomina fecit
 Apta magis.) Pariter stridentia spicula misit
 Hic in Lutherum; testis Vormatia, testes,
 Vipereo tinctos quos edidit ille veneno,
 Libri, ex hac crena quales fluxere quotannis.
 Jure Faber succedit huic, molimine vires
 Ingenti exercens, poterat qui Mulciber esse
 Romanoque Jovi cunctisque ex ordine divis:
 Sed si nosse cupis, quæ fabri malleus hujus
 Ex cœno factus quondam firmaverit arma?
 Dicam: ventoso semper mendacia folle
 Spirabat; chalybes tali fornace liquefant?
 Non ego crediderim: stipulae crepitantis acervos,
 Quos levis aura movet, quos & celer ignis adurit
 Vertitque in tenues, credo hunc struxisse, favillas.
 Excipiat Fabrum *Conradus VVimpina*, cujus
 Præsidio fultus veniarum venditor ille
 Tezelius sese defendit contra Lutherum;
 At male defendit: nam turpis causa patroni
 Eludit studium gravibus quoque litibus apti.
 Ipsum etiam Marium tetra impellebat Erynnis,
 Ut male multatis Eccâ sua jungeret arma,
 Præmiaque ut factis deberi urgeret egenis.
 His se se vapidam condens sub pectore vulpem
Collinus sociat, thalamis infestus honestis,
 O Luthere, tuis. Accedit *Stosius* audax
 Dura bovis, feriat queis nostros, cornuâ gestans.
 Omnia *Medardus* raucis clamoribus implens
 Ipse sibi nudus plantas tamen alta cothurni
 Fulcra aptat, magnoque nihil depromit hiatu.
 At pro sanctorum pugnans *Ufingius* aris
 Fortiter appictos adolere in marmore Divos
 Thure jubet, simul & venerari poplite flexo.
 Ratisponensis *Thonan*, non ipse disertus,
 Suppeditat dicenda aliis: *Veselius* autem
 Stat pro peccatis consveto more fatendis.

FK 3318

Speiferus sacras dum mensas instruit, inde
Symbola divini vult pocla cruoris abesse,
Panemque apponi, qui in Christi transeat artus.
Montinus Missam tutatur, acerbaque vere
Hoc sacro repeti Christi supplicia pugnat.
Sed *Redorferus* vitæ sibi cœlibis usum
Votaque defendenda capit, nec non genus omne
Muletarum, quascunque reis facer imperat ordo.
Burckhardus dictis septem mysteria Patrum
Asserit, & flammæ, tenues sine corpore manes
Quas purgare putant, extinctas suscitât *Hugo*.
Brema accersitum *Cotelinum* sæva flagello
Armat Eris pariter, veteris contagia culpæ
Fomitis esse loco ut male sana mente negaret,
Atque piam faceret naturam prava sequentem.
Nec procul ille fuit, qui frenis ora ligare
Sueverat, adstricto dignus quippe ipse capistro.
Dietenbergerus, veterum commenta tueri
Nunc cupiens, miseræ quæ sunt opsonia plebis,
Atque Deo ingratos ritus moremque sacrorum.
Frater ad hos *Michaël* ex cæco repererat antro,
Biblica qui populo ne scripta legenda paterent,
Submissa reliquos instanter voce rogabat.
Occupat extremum scabies, cui *Kretzius* aptum
Nomen erat: falsa prurigine concitus iste
Litem ex lite ferit, seque infert omnibus ultro.
Solutus in his laudem placido *Mensingius* ore
Commeruit, causam meliori examine pendens,
Hincque malignantis damnans deliria turbæ,
Cum delibato fastidia maxima vero
Jam dilecta prius Thomæ documenta moverent:
Obque hoc consiliis, quæ non toleranda putabat,
Iratis patribus Dominoque jubente remotus.
Atque hi Titanes divina lacescere crudo
Scripta quasi bello monti superaddere montem
Nituntur, cœlumque ipsum impugnare laborant:
At Jova, haud illos passus sua rumpere regna,
Nanos irridens arrepto fulmine dudum.
Montibus everfis ipsos ad Tartara misit.
Quid furor illorum potuit? potuere quid astus?
Perstat adhuc verum, perstat Confessio nostra,
Contemnitque minas, tanquam Marpesia cautes
Fluctibus in mediis nullis obnoxia ventis.
Stat fidei cultus rectæ, per secula stabit
Relligionis honos, quotquot ventura supersunt:
Cumque hac Lutheri pia dogmata salva manebunt,
Intima Romano rumpantur ut ilia Codro.



VD 18

VD 77 00

ULB Halle

3

008 560 285



FR. 47.

THEOLOGOS PONTIFICIOS.

SVIS DISPVATIONIBVS AVGVSTANAM CONFESSIONEM
IN IPSIS COMITIIS A. cl^o l^o xxx. EVERTERE
CONATOS

PERTENVI HOC CARMINE
SISTENS

ILLVSTRISSIMVM COMIEM

à **WATZDORFF,**

IN VICINIA NOSTRA COMMORANTEM,
NEC NON

SCHOLÆ ANNÆBERGENSIS

INSPECTORES GRAVISSIMOS
EIVSDEMQUE FAVTORES
QVOSCVNQVE,

VT

DISPVATIONES DE AVCTORITATE CONFESSIONIS
AVGVSTANÆ

A QVALVOR FR
CHRISTIANO GOT
GOTTHELF AVG
CHRISTIANO GOT

JO ANNE CHRISTI
IN

NEC NON I
ALTE

DE MUTATIONE CC
NOSTRIS N

ALTERV

DE INVICT

ANONNVLLIS SECVNDÆ, TEL

PROXIMO VENERIS DIE HOR

AVDIRE BEL

DECENTI PIETAT

M. JO. FRIED

AL

STANNO AVG

BIBLIOTHECA
PONTIFICIANA

